

55. Calixt.

Secundò S. Calixtus Papa serm. 2. de sancto Jacobo. Hos autem piscatores, generis humani reparatores, ante nati sui incarnationem promissis per Jeremiam Prophetam, dicens ecce ego mittam ad vos piscatores multos: merito natus, & vocavit ad se, & misit ad predicandum animas, quas pater praelegerat. Christus Dominus omnibus filiis exemplum præbens sui patris dispositionem implet, & exequitur nullos alios vocat præter eos, quos Pater praelegerat, illius in omnibus ordinationem nominat animas: quia Prædicator ita debet esse à temporalibus segregatus, ac si homo carneus, sed anima, & spiritus esset.

Bonus filius adimplet patris voluntatem.

56. Chrysof.

Tertiò D. Chrysofostom, in Imperfecto hom. 7. paulo post principium, ubi ponderat quod Dominus vocat piscatores mittentes rete. Future dignitatis, ait, gratiam artificij sui opere prophetantes; ut intelligamus, quia non solum illa secunda piscatio spiritualis à Deo eis erat donata, sed etiam illa prima corporis, Dei providentia, in eis fuerat ordinata. Expende prima verba, Deus, ut optimus rerum gubernator, officiorum distributiones ad propensionem, ac inclinationem nostram maxime accommodat, ita ut hominis inclinatio aliqual sit futuri muneris prælagium. In Apostolis expiscandi artificium insinuabat assumendos ad celestem hominum piscationem, & humana divinam jam designabat expiscatio; ita enim Deus ad nostram naturam descendit, ut illius congenitum studium, ac continua occupatio, quodammodo Prophetia, indexque sit futuri officij. Future dignitatis gratiam, artificij sui opere prophetantes. Princeps, si optimos ministros exoptat, juxta uniuscujusque ingenium distribuat munia.

Propria hominis inclinatio, aliqualis est futuri muneris prospectiva.

57. Euseb. Gall.

Quartò Eusebius Gallicanus homil. de S. Andree Vocat autem Dominus, ait, piscatores, quoniam tales ei erant necessarij, qui aquis assueti, & piscandi, & baptizandi essent periti. Ideoque non artem mutare eis præcepit, sed longe melioris piscationis, & alterius generis piscium eos piscatores fore promittit, dicens, Venite post me, &c. Dominus res maxime suaviter disponit. Vocabat Apostolos ad piscationem divinam, ad baptizandi in aqua ministerium, ad hoc munus non lignorum, vel lapidum artifices, at piscatores trahit in aquis peritos, mutata in hoc non arte, sed materia: ut inde discamus, ad unamquamque rem addiscere homines illius artifices, ac peritos, quia, ut est commune adagium: Quilibet in arte sua.

Ad quamlibet rem proprii illius sunt vocandi artifices.

58.

Quintò Dominus ad suum Apostolatam, non venatores, sed piscatores adducit. Quænam hujus reiteratio? optima sane. Venatores ad certam, determinatamque aviculam, atque prædam feruntur, ac suam in eam intendunt collivare sagittam, instrumentumque venæ. At contra piscator insincentu jacet rete ad comprehendendos quoscunque, qui intra verint, pisces, ita ut nec ad hunc, nec ad illum porius piscem rete determinate extendatur. Ita dicitur, ac Prædicator neminem suo debet determinatè suggillare sermone, nec in aliquem dirigere verbum, sed suum extendere rete ad omnes doctrina, monitis, ac documentis capiendos D. Chryl. hom. 7. in Imperfecto, favet hinc cogitationi. Nam sciri, ait, qui recta jactat in aquam, nescit, quos pisces comprehensurus est, sed quos Deus ei transferet, illi intrant in retia: sic dicitur, quando divini sermonis retia super popu-

Prædicator neminem debet suggillare sermones sed ad omnes extendere illi.

Chrysof.

lum jactat, nescit qui sunt accessuri ad Deum, sed quoscunque Deus excitaverit, illi adhaerent doctrina.

Sextò, Ad officium piscatoris maxime spectat, omnes sinus, flexus, ac reflexus maris, fluminum, & lacunarum exploratos, ac indagatos habere; cælum, cursus, ac mutationes Lunæ observare, tempora piscationis apta non prætermittere; rigidum frigus perferre; magna pericula adire, totas noctes, quando alij somno incumbunt, operando, ac vigilando pertransire. Similia ferè observare debent, qui Apostolico munere funguntur, tempus opportunum ad prædicandum considerare debent, & maris, periculis, ac procellosis tempestatibus se committere, ut ita Christo homines lacrifaciant.

59.

Multiplex in prædicatione labor.

At Regius Vates Psalm. 106. num. 23. Annuntient opera Dei in exultatione, qui descendunt mare in navibus, & facientes operationem in aquis multis; ipsi viderunt opera Dei, & mirabilia ejus in profundo. Isti descendentes in mare sunt Prædicatores Apostolici, ut exponat Agellius, & nobis, Cassiod. Brunonius, Hugo, & alij. Inò à veteribus Rabbini, ut refert hic Lorinus, locus exponebatur de Apostolis piscatoribus. Mare est mundus, in quem veniunt Prædicatores in navi Ecclesie, vel in navi Crucis Christi, illos tamen curiosè notabis: quod isti navigantes non pergunt in pelagus, ut faciant operationem suam tranquillo mari, sed in medio aquarum multarum hoc est, in furiosa aquarum tempestate. Et vident opera Dei, non in elatione maris, quando tumescentibus fluctibus caelo appropinquare videbantur, sed quando descendunt in abyssum, ac veluti ad submersionem tendunt. Ut Prædicatores sit notum, quod prædicandi munus ipsi suscipiunt: ut suam faciant operationem in medio multarum aquarum contradictionum, ac persecutionum. Sed dum Prædicatores quodammodo in abyssum demergi, à furiosaque tribulationum videntur obrui tempestate, ibi Dei opera & mirabilia vident; nam virtute Dei tyrannos crudeles comprimunt, inimicos refrænant, duos resolvunt in lachrymas, incontinentes redigunt ad angelicam puritatem, efferatos ad mansuetudinem, superbos ad humilitatem. Brunonius Sacerdotes, ait, descendunt in mare in navibus, in Ecclesiis, quæ Christum portant, & à fluctibus hujus mundi inundantur; facientes operationem, id est, prædicant populis Christianis. Isti autem Prædicatores, qui Dei opera spirituali intelligentia cognoverunt; in profunda enim caligine per eorum prædicationem lumen veritatis illuxit, ut viderent in tenebris clarissimis clarè lumen Deo operante, verissime Trinitatis.

60. Psalm. 106. Agell. Anob. Cassiod. Brunon. Hugo. Lorin.

Sciat Prædicator esse officium suum ad labores, & persecutiones suscipiendas.

Ait Habacuc 3. num. 15. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. per equos prædicatores intelliguntur, per quos Christus vehitur per totum orbem, ut docent, ac rectè explicant verba illa etiam Habacuc. 3. num. 8. Qui ascendit super equos tuos. Divus Ambrosius lib. de Naboth. cap. 15. ibi D. Hieronymus, Hugo, & alij. Cur ergo Dominus tuis Prædicatores Hago, viam fecit, non in terra, sed in mari? Est in mari, cur non in aqua crystallina, vel in lapidibus pretiosis, qui ibi gignuntur, sed in luto aquarum multarum? Ut sciat prædicator, sibi committi munus prædicationis, non ut requiescat, & exultet in terra, sed ut in mari contradictionis tribula-

61. Habacuc.

Ambros. D. Hieron.

tribulationes, ac diversitates patiat. Et hoc, non in auro, sed in luto aquarum: quia Prædicator non debet attendere ad aurum, aut lapidem pretiosum acquirendum, nec ad hæc mentem dirigere; sed ad fæces, ac fordes animarum, ut eas doctrina purificare, ac emendare valeat. D. Gregorius Magn. lib. 4. moral. cap. 9. Viam fecisti, ait, in mari equis tuis, in luto aquarum multarum; ac si diceret: Aperuisti Prædicatores tuis inter doctrinas hujus sæculi, sordida, & terrena sapientes. Similiter rare D. Remigius ad locum citatum Habacuc.

Prædicatoris munus ad labores suffragandos, non vero ad aurum requirendum, Greg. Magn. ait, in mari equis tuis, in luto aquarum multarum; ac si diceret: Aperuisti Prædicatores tuis inter doctrinas hujus sæculi, sordida, & terrena sapientes. Remigius. Similiter rare D. Remigius ad locum citatum Habacuc.

QUESTIO IX.

Quare juxta mare Dominus Apostolos vocet.

62. A Trahit Dominus ad se hos Apostolos, non in domo, non in platea, sed ambulans juxta mare, tunc vocat eos. Eusebius Gallicanus homil. de S. Andree, respondet tumidè. Ecce primos, ait, discipulos suos de mari Dominus vocat, quoniam multos alio per eos de hujus mundi fluctuosa amaritudine ad fidem vocare disposuerat: ut quia de mari à Domino vocantur, ipsi quoque periculatissimi animas de mundi hujus naufragio, & de vitiorum insurgentibus procellis liberare discant. Vocabat Dominus Petrum, & Andream, Jacobum, & Joannem, ut essent Apostoli, ac principes orbis terrarum, & juxta mare eos ad se asciscitur, ut ex suo elationis modo compati alius discerent; nam sicut ipsi à Domino vocantur de mari, ubi homines naufragantur; ita & ipsi animas, quas aquis maris vitiorum, ac peccatorum obrutas viderent naufragari, non contemnerent, sed manum eis portigentis salutari pabulo vivificarent, & hoc pacto ex propria miseria, ac periculo, aliorum ærumnis optulari, ac propitiari instructentur.

62. Euseb. Gall.

Discat miseris compati, qui ab ærumnis ad felicitatem vocantur.

63. Palat.

Threnor. 2. Maxime mentur Prædicatoris oculis suis subditorem miseriam videre.

64.

Ministri apti exercitii proprio loco trahendi.

65.

est, ut dicitur. Ezechiel. 27. num. 9. Omnes naves maris, & nauta earum fuerunt in populo negotiationis tue. Habitatores Sidonis, & Aradii, illius remiges extiterunt; sapientes Tyrij gubernatores. Senes Giblii, dederunt nautas ad ministerium. Persæ, & 4ydii erant in exercitu bellatores filii Aradii super muros, Pygmæi in turribus; Carthaginenses negotiatores; Græci, & filii Thubal, & Mosoch institutores. Sed ad quid ex tot, & tam diversis nationibus navis impletur? Nonne ubi multæ sunt diversæ nationes, ibi trixæ, & bella? Consule expositores Hieronymum, Theodoretum, Lyranum, Hugonem, Carthusianum, Cornelium, & invenies, quod unaquæque gens eminebat in munere, ad quod vocatur. Sidonis, & Aradii habitatores, tanquam infularum, valde peritissimi remiges. Sapientes Tyrij affueti gubernaculo. Senes Giblii, ut pote maritimi, affueti navigationi, dederunt nautas, persæ tanquam milites fortissimi Regis Cyri, erant in exercitu ad bellandum. Lydi, tempore illo famosissimi pugnatōres ad prælia, filii Aradii ad sagittandum promptissimi erant super muros; sicut & Pygmæi; Carthaginenses valde versatissimi in mercatura. Totum regimen civitatis, ac navis non committitur uni, vel alteri populo, sed universæ nationi, prout unaquæque in sua arte pollebat, & ita ad munerum distributionem vocatur.

Ezech. 27.

Hieron. Theodor. Lyran. Hugo. Carthuf. Cornelius.

Munia publica juxta ministeriorum capacitatem distribuenda.

66. De electione Davidis ait Samuel Sauli 1. Reg. 13. num. 14. Quæstis Dominus virum juxta cor suum. Nemo querit id, quod in promptu ad manumque habet, sed quod ei in longinquo distat: atqui Deo omnia sunt præsentia, & manifesta: quomodo ergo dicitur, quod ipse quæstis? D. Gregorius Magnus ad citatum locum Reg. Quære enim solemus, quæ aut præsentia non cognoscimus, aut absentia non videmus: Deus autem, cui nihil est absens, nihil latens, non dicitur quæstis virum, ut absente, aut absconditum; sed quæstis dicitur, ut omnis, qui ad sancta Ecclesie culmen eligitur, discutiendus ab hominibus esse doceatur. Quæstis Dominus virum, non propter se, cum ipsi manifesta sint omnia, sed ut nos instruat, viros ad dignitates quære, in quibus meritum fulgeat, & virtus, Cajetanus. Dicit: Quæstis, quia ad similitudinem querentis; inter tot Israelitas elegit Davidem, tanquam virum secundum cor suum. Seu secundum tuum beneplacitum, ut explicat Abulenſis à quo est omne bonum nostrum. Et quia quærebat ad regendum suum populum, tanquam oves, à grege vocavit pastorem.

Greg. Mag.

Minister querendus est aptus ad officium. Cajet.

Abulenſis.

QUESTIO X.

Quare Dominus hos vocet Apostolos, non extrahentes, sed mittentes rete?

Magno mysterio ponderandum est, quod non despicit Dominus homines in vili munere laborantes, nempe in arte piscatoria: immò inde eos vocat. Et maxime placent ex proprio officio occupati, ac suum munus adimplentes. Non vocat ad Apostolatam otiosos, sicut erant illi, quibus in foro dicitur: Quid hic stas tota die otiosus? Matth. 20. num. 7. Et vocantur ad vineam, Vide infra num. 76. At ad summam apostolicam digni

67. Occupati in proprio officio ad magnum apti.

Matth. 20.

dignitatem eliguntur homines, non in alieno, sed in proprio munere occupati. Et non dicitur, quod vidit mittentem solum Petrum, sed Petrum, & Andream; ut intelligat superior, quod non solus ipse rete prædicationis in mare mittere potest, nec solus ipse munus suum adimplere valet, sed ministrantium eget subsidio. Quæstio prærens est, quod cum æqualiter occupati videantur Apostoli, rete mittentes, ac trahentes, cur non vocat trahentes, sed mittentes.

Rex & Prælati indigent subsidio ministrorum.

68. Chrysof.

Joan. 21.

Evangelica prædicationis suæ à Christi sanguine efficiamiam habet.

69. Pafchaf.

Qui concupiscentias abiciunt, & continent, ad magna apti.

70. D. Thom.

Vocante Deo nulla est qua hominum desineat occupatio.

71. Palatius.

Non debet Prædicator præbendis querere. 1. Cor. 3.

Respondet primò D. Chrysofostomus homil. 4. in Marc. Refert, ait, Evangelium, quod veria mitterentur: tamen non dicit quod aliquid ceperim. Igitur ante passionem dicitur, quod licet miserim veria, tamen non scribitur, quod prendiderim: post passionem verò mittunt rete, & prendunt: & tantum prendunt, ut veria rumpantur. Joan. 21. n. 6. Vidit Dominus suos discipulos mittentes rete, & non trahentes piscibus plenum; hoc enim reservatur, & fit post Christi passionem; quia tunc Apostoli animarum conversione Ecclesiæ sagemam implere, per totum orbem seminantes Christi verbum, ex omnibus mundi partibus homines ad fidem adduxere. Hic autem totus fructus à Christi sanguine, ac passione provenit.

Secundò D. Pafchaf. lib. 3. in Matth. In istis, ait, quippe duobus, quos primò Christus ad fidem vocat, figura omnium eorum est, qui de profunditate rerum carnalium veria mittentes, quotidie evocantur. Retia igitur sua mittentes in mare, simul omnes suis occupantur negotiis, dum unusquisque sagemam concupiscentiarum post vana sæculi lucra, velut avidus piscator, laxat. Nemo jam absque sæculi questu immunis, & concupiscentiarum rebus alienis vivit. Retia concupiscentiarum mundi denotant, quibus homo illaqueatus implicatur. Apostoli vocantur, non dum retia extrahunt sed dum in mare projiciunt, & laxant: nemo enim ad magna, & præclara dignus est, quando concupiscentiarum retia ad se trahit, ac revocat, ut illa amplectatur, & luxuriosè vivat, sed quando hujusmodi retia à se dimittit, ac è manibus in abyssum projicit, ut ultra non appareant.

Tertiò D. Thomas ex Chrysofostomo Capiauit Dominus, ait, istam horam, ut daretur exemplum quod nunquam debemus amittere servitium Dei propter occupationes. Major est piscatoribus occupatio, majusque negotium, dum retia in mare jaciunt, ac quando extrahunt. Ut ergo denotaretur, quod, vocante Deo, omnis occupatio, si illius adsit finis, siue principium, remittenda sit, ac ableganda; ideo mittentes retia vocantur. Nulla adeo vehemens esse potest occupatio, quæ pulsante Deo, hominem detineat, quin vocem ejus audiat, & promoveatur ad illum.

Quartò Palatius non vocat extrahentes rete, ait, aut concludentes pisces, aut vendentes, quod expiscaverant, nihil tale, quia prædicatoris munus non est extrahere homines à mala sua conversatione; nec est, multos ad fidem ex infidelitate revocare; nec est, pro piscatura præbendas, ac dona percipere: est, studio, labore, recta conversatione verba, velut rete in populum conjicere? Deus dat incrementum. 1. Cor. 3. num. 6. Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Et sicut non desperat piscator non prendens, quod optat; ita nec despe-

ret Prædicator. Hæc insinuat D. Chrysofostomus in Imperfecto homil. 7. citatus quæst. 8. in 6. oratione.

Chrysof.

Quintò. Quando piscator rete laxat in mare, tunc totus labor inchoatur; debet enim tunc adflare, vigilare, ac observare, ut cum plenum piscibus fuerit rete, è mari educat, at cum ipsam capiendi pisces extrahitur instrumentum, tunc adest laboris finis, imminet quies, ut jam suæ piscationis fruatur emolumento. Non advocat Deus ad se Petrum, & Andream extrahentes rete, sed mittentes, ei enim plus placent homines, dum ad laborem tendunt, quam dum ad quietem properant.

72.

Deo plus placent homines laboriosiores, quam quiescentes.

Sextò. Piscator, cum retia jaciunt in mare, est piscibus carens; aliter vero cum educit, illis jam replet vasa sua: & multo magis Deus est homo perjucondus, si temporalibus hujus maris bonis vacuus appareat, quam si illius refertus, ac onustus consistat. Et ideo, cum extendunt rete, Petrus, & Andreas vocantur; non verò quando complantes ad littus reducant. Sola enim ea gens ad fructum Dei venit, ac in illa muneratur, quæ à terrenis bonis est exuta.

73.

Exuti à bonis terrenis, à Deo vocantur ad magna.

Rex Ægyptius videns, quod populos Israël nimium excreveret, ait ad suos. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur; & si inguerit contra nos bellum addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egredietur de terra. Exod. 1. num. 10. Cum populos nimium multiplicaret, non timet Rex barbarus, quod saum regnum possidet, ipseque expellatur ab illo. Et cur hoc timore non tangitur? Nonne ait Pharaon: Addatur inimicis nostris expugnatisque nobis; qui enim aliquid regnum expugnat illud diripit, possidet, ac ibi quiescens consistit. Cur ergo solum timet, quod populus egredietur de terra? Cum ille esset populus Dei electus, ac in fortem, & in cognitionem ejus vocatus, non irrepsit timor; quod expugnata terra populus illum possideret, ac obtineret, sed quod ab illa egredieretur, ac exiret. Ingeniosè Rupertus ibi. Non addit, ait, expugnatis nobis obineat terram, sed egredietur de terra. Hoc sibi persuadent principes tenebrarum, mundi hujus rectores, quod Christiani hoc solum emolumentum habent in possessionibus terrenis, quod illas despiciamus expugnatisque nobis, egrediamur de terra, quia calum nos expectat.

74.

Exod. 1.

Electus à Deo bona temporalia dimittit.

Rupert.

Nec enim ad cælestes favores, ac benedictiones vocantur, qui terrenis indulgent, sed qui omnino alienantur ab illis. In primo orbis molimine creavit Deus pisces maris, & aves cæli, & statim divina injungitur benedictio, Benedixitque eis Deus, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, avesque multiplicentur, Gen. 1. num. 22. Et statim sequitur num. 24. quod Deus quoque creaverit animalia terrestria, jumenta, bestias terræ secundum species suas; & tamen pro tunc cælestis benedictio eis non imperitur. Quare aves cæli, & pisces maris Dei benedictione fruuntur, illa tamen privantur animalia; quæ terra producit? Per animalia terrestria homines terrenis rebus implicati designantur: merito ergo aves, quæ per cæli ambitum volitant; & pisces maris, qui à terrenis sunt segregati, ad cælestem benedictionem vocantur; à qua excludantur, qui terrenis rebus sunt dediti, utpote indigni, qui ad tantum beneficium

75.

Genes. 1.

Qui bonis terrenis caret à Deo benedicitur.

Theoph.

ficiam admittantur. Theoph. Antiochen. ad Aureolum lib. 2. Sexto die, ait, cum Deus conderet quadrupedia, bestias, & reptilia terrestria, veteris benedictionem. eamque reservat homini, quem sexto die creare constituerat: ceterum quadrupedia & bestia quadam pulchrè nobis depingunt homines quosdam, qui Deum ignorant, impia parant, terrena sapiunt.

bendarum, non rerum temporalium. 2. Corinth. 12. n. 14. Non enim quero, quæ vestra sunt, sed vos. Itai. 13. n. 17. Ecce ego suscitabo super Iai. 13. vos Medos, qui argentum non quarant, nec aurum velint.

QUESTIO XI.

Quare Dominus vocat suos Apostolos sub metaphora piscatura?

Matth. 4. n. 19. Et ait illis: venite post me, faciam vos fieri piscatores hominem.

VERSIONES.

Syriacos. Venite post me, faciam vos esse piscatores hominum. Chrysofostomus. Dicit illis: Sequimini me, serm. 2. de s. & faciam vos piscatores. Iac. Vatab. res. Franc. Lucas. Faciam, ut fiat, seu sitis piscatores.

ALTER TEXTUS.

Marci 1. n. 17. Cohæret cum Matthæo.

EXPOSITIO.

76.

VOCAT Jesus Petrum, & Andream, & ait illis: Venite post me. Quamquam enim duo hi Apostoli frequenter adessent Jesu docenti, & cum eo essent conversati, Joan. 1. n. 37. & significat Petrus, Act. 21. Tamen hic modo illis ait Jesus: Venite post me, hoc est relicto hoc vivendi modo, atque hac arte, sequimini me: meum institutum vivendi amplectere, corpore, & animo, mihi individualiter adhaerere, ut ait D. Anselm. Non tam pedibus, quam affectu mutationis. Quosdam contentus est Jesus habere in grege, & Ecclesia sua, ut Regulum cum filia sua, Joan. 1. n. 53. multosque alios, nec urget, ut relictis parentibus, ac omnibus suis ipsam imitentur, ac pedibus sequantur: hoc verò exigit ab iis, quos vocat ad majora, & ad Apostolicum munus, cujus perfectio omnia mundi renuntiare exoptat, & requirit. Ait illis: Venite post me; ipse ducatum præstat, ut & nos sequamur. Faciam vos fieri piscatores; ac si dicat: Faciam vos aptos, & idoneos ad hujusmodi ministerium. Eleganter D. Anselm. Bene dicit: Faciam vos fieri; aliter enim homo frustra laborat, nisi ut faciat, & perficiat: ita tamen facit, ut liberum arbitrium non pereat.

Joan. 2. Act. 21.

Anselm. Qui dona dimittunt, ad magna apti.

Anselm.

77.

D. Thom.

Magna hominis à gratia, quod sit quam Dei cooperatorem fieri. Magna nobilitas in nostra salute cooperatione esse Christo Domino cooperatore.

Abdias 1.

Hieron. Hugo.

Multiplici modo, ut est planum, poterat Christus suos attrahere. Primo. Vocando eos, ut ipsam sequerentur, non explicando munus injungendum; sicut cum Matthæo vidimus factum, cap. 9. num. 9. Luc. 5. num. 27. ei tantum dixit: Sequere me. Vel poterat Dominus dicere: Venite post me, faciam vos prædicatores. Doctores, principes Gentium. Nihil horum dixit, sed piscatores. Cur ergo sub hac metaphora trahuntur; inquirimus? Et vide supra quæst. 8.

78.

Luc. 5.

79.

Prima hujus rei solutio est. Quia sæpe Christus Dominus à rebus temporalibus, quas tempus, & locus dabant sermonem transtulit ad spirituales, ut à terrenis ad ecclesiæ montem hominis attolleret; & quia ipsi erant occupati in arte expiscandi; ideo sub metaphora piscatoris sermonem vocat.

Christi ex præsentium occasione ad spiritualia assumebat.

Secundo. Homines sunt sicut pisces; & sicut trahuntur reti pisces à piscatore; ita etiam homines à Prædicatore, ut notat Chrysofostomus in Imperfecto homil. 7. Trahuntur reti inexto sacra doctrina, varietate sententiarum, ac parabolarum; narrationibus divinis sacra Scripturæ promissionibus beatitudinis, ac admirabilibus operibus virtutum. Deinde ad pisces ad expiscandos in hamo apponitur edolium, ut ita pisces capiuntur; ita similiter in hac divina Christi sagemam. Quod pulchrè meditato est D. Chrysofostomus. Chrysof. serm. 28. Venite, ait, & faciam vos pisces hominum ut vitæ ista scia factu, ut hamo cælestis verbi, de mortis gurgite animas ad lucem tolleret sempiternam. Cum hamus Evangelicæ prædicationis præparatur, ut homines captat statim illi apponi vivifica sanctissima Eucharistia escæ, ut dulce charistia homines trahuntur ad vitam æternam. Tandem tertio. Quia sicut pisces de mari capiuntur, & emittuntur foras; ita Prædicatores verbi Dei educunt homines de amaritudinibus iniquitatum hujus sæculi.

80.

Chrysof.

Dulcedine sacra Eucharistia homines trahuntur ad vitam æternam.

81.

Quod vero homines piscibus similes sint Habacuc. 1. num. 14. Et facies homines quasi pisces maris. Et Christiani vocabantur olim pisces tum à Christo Domino, qui à veteribus Græcis piscis appellatur, de qua re extat carmen Erythræ Sybillæ. Vide Tertull. lib. de Baptismo. Tertull. August. lib. 18. cap. 23. D. Prosperum lib. de promissionibus, & prædicationibus, part. 2. cap. 39. Tam etiam Christiani dicebantur pisces, quia in aquis nascuntur, cum baptizantur, & aquis vivunt lachrymarum in secundo confessionis Baptismo, in quo vitiorum sordes post primum contractas elvunt. Deinde homines in mari istius mundi sunt sicut pisces, frigidi sine calore charitatis, muti sine voce divinæ laudis, destituti manibus, ac pedibus bonorum operum, maturoque se devorantes

81.

Habacuc 1.

Homines piscibus similes.

82.

August.

83.

Prosper.

Christiani in aquis baptizantur, & aquis vivunt.

84.

85.